

vatum ministratur, nisi infirmis per modum Viatici. Quod si infirmo portandum sit Viaticum, caeteris servatis, signum non datur cum tintinnabulo, neque benedictio cum Sanctissimo impertitur, nisi infirmo communicanti¹: de caetero serventur omnia more solito, et Sacerdos iuxta viam aliquos Psalmos submissa voce recitatib absque *Gloria Patri* etc.

1398. Hodie et cras ad comedionem post Vespertas, pro mensae benedictione dicitur *¶ Christus factus est* etc. et *Pater noster*, totum secreto, deinde Superior, quin aliquid dicat, manu mensae benedit. Pro gratiarum actione idem repetitur *¶* et *Ps. Miserere*; postea dicitur *Oratio Respice ac Pater noster* secreto. Ad coenam dici potest *Ave Maria* more solito, et mensa a Superiori manu simpliciter beneditur; vel etiam *Christus* etc. et *Oratio Respice* tantum.

1399. Attendant Superiores locales, nullo modo nobis iuxta Decretum S. Rit. C. 17 Dec. 1888 editum (Vide num. 120-122): licere hac die et duobus subsequentibus diebus pro sacris functionibus uti Memoriali Rituum a Benedicto XIII pro parvis Ecclesiis edito, nisi, ubi sufficiens numerus Sacerdotum et Clericorum aut Laicorum habilium non habeatur; de caetero ceremonias omnino faciendas esse iuxta Rubricas Missalis Romani.

Curent etiam Superiores, et cum Sacerdotes tum Clerici et Laici ante dies festos Rubricis in his sanctis functionibus exsequendis diligenter studeant et in ipsis sese exerceant. Nihil enim sanctius ac praestantius Li-

¹ S. Rit. C. 15 Maii 1745, in Lucana.

turgia catholica Hebdomadae sanctae, sed et nihil opprobriosus erroribus et confusionibus, quae non raro his diebus in sacris functionibus ex negligentia et Rubricarum ignorantia committuntur.

§ IV. — *De Mandato, seu lotione pedum.*

1400. Licet Mandatum, seu lotio pedum enumeretur inter ritus huius diei in Missali Romano, attamen non est praeceptivum¹, neque locum habere solet, nisi in Cathedralibus et in quibusdam Regularium Communatibus. Cum igitur istiusmodi functio libera sit, si fiat, absolute facienda est iuxta Rubricas statutas in ipso Missali Romano, quin aliquid ullo modo immutetur. Haec lotio fit ordinarie aut in Sacristia aut in aliqua aula capaci, uti apud nos est reectorium: processio non est incipienda ab Ecclesia, sed a Sacristia.

1401. Igitur, si fiat: denudatis Altaribus, hora competenti, vel ante meridiem, vel etiam a prandio², crotali pulsatione Fratribus ad Sacrarium adunatis, duobus Acolythis et Thuriferario superpelliceis indutis, Superior cum Ministris, id est, Diacono et Subdiacono, sacris paramentis induantur: Superior Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Pluviali violacei coloris; Ministri pariter Amictu, Alba, Cingulo; Diaconus autem Manipulo, Stola ac Dalmatica albi coloris, et Subdiaconus Manipulo et Tun-

¹ Caerem. Episcop. I. II, c. XXIV, n. 3.

² Exemplo et mandato Christi inhaerentes Episcopi, et alii Praelati et Superiores Regularium, necnon ipsem SS. Pontifex et Principes saeculares catholici solent tredecim subditis vel pauperibus iuxta locorum et Ecclesiarum consuetudinem lavare pedes.

cella eiusdem coloris. Hinc facta reverentia profunda Crucis, procedant ordinatim ad refectorium. Praeibit Thuriferarius cum thuribulo, absque incenso, et navicula; deinde Acolyti cum candelabris accensis; non autem Crucifer, procedendum est enim sicut ad Missam, non ad processionem, et soli Archiepiscopo in hac functione praecedet Crux¹. Sequentur hinc Fratres bini per ordinem, postea Celebrans medius inter Ministros in silentio, capite tecto.

1402. Refectorium erit in pavimento conspersum floribus: in extremitate ipsius erit efformatum Altare pallio violaceo instructum, tobalea superposita erit mensae hinc inde a lateribus pendens: Crux velo violaceo tecta locata erit in medio Altaris inter candelabra sex cum candelis cereae albae accensis. Aderit in cornu Epistolae legile, seu cussinus cum Missali pro Celebrante; et gradus Altaris erunt tapete, vel viridi, vel subobscuro cooperti. Prope Altare, in latere Epistolae, paratus erit abacus mappa alba obtectus, in quo disposita erunt: Evangeliarium seu Missale pro Diacono; cincticulus albus exornatus reticulis ac taeniis oblongis pro Celebrante; urceus cum pelvi, manutergium et aliquantula panis medulla, pro manuum Celebrantis ablutione; mantilia ad abstergendos pedes; et prope abacum, vel retro Altare, vasa cum aqua calida et frigida, pelvis magna ad pedes lavandos, et magnum aliquod vas, in quod effundatur aqua pro lotione adhibita. In cornu Evangelii sit scamnum panno coopertum, vel viridis, vel subobscuri coloris, super quod sedere possint ii, quorum

¹ Caerem. Episcop. I. II, c. XXIV, n. 1 et 5: Martinucci I. II, c. XXV, n. 92

lavandi sunt pedes; et ante scamnum sit gradus seu subpedale in commodum Celebrantis. Sint super mensas, floribus conspersas, aliqua Missalia pro Cantoribus.

1403. Cum ad refectorium perventum fuerit, Thuriferarius et Ceroferarii atque Celebrans cum Ministris procedunt usque ad Altare. Religiosi caeteri refectorium ingressi, facta versus Crucem profunda inclinatione, ab utroque latere ante mensas consistunt, ut consistere solent ad benedictionem mensae; Celebrantem transseuntem versus caput inclinant. Celebrans, detecto capite, cum Ministris ascendit ad Altare, illud osculatur in medio, sed Ministri non genuflectunt. Diaconus descendit a latere, accipit ex abaco Missale, quod affert ad Altare ritibus pro Missa solemni, et in medio mensae deponit. Thuriferarius tunc ascendiit in suppedaneum, Celebrans aliquanto conversus, Diacono ministrante cum osculis usitatis, et Subdiacono sublevante fimbriam Pluvialis, imponit incensum in thuribulo more solito, illud postea benedicens formula consueta *Ab illo benedicaris etc.*, applicans sinistram Altari, dum benedit. Hinc Thuriferarius, Acolyti, Subdiaconus ante Altare sistunt, ut in Missa solemni; Diaconus accipit Missale de Altari, et, ut in Missa solemni, genuflexus ante Celebrantem et tenens librum ante pectus, petit benedictionem, cui Celebrans solita formula *Dominus sit etc.* benedit. Diaconus inde descendit a dextris Subdiaconi: et facta ab omnibus simul, nempe a Ministris, Acolythis et Thuriferario genuflexione Crucis et reverentia Choro, pergit ad Evangelium canendum iisdem ritibus ac in Missa, Celebrante se convertente ad Diaconum more solito. Cantato Evangelio, Subdiaconus defert librum oscu-

landum Celebranti, Diaconus eumdem Celebrantem tripli ductu incensat. Celebrans, accepta thurificatione et facta reverentia Crucis cum Subdiacono, descendit ad abacum; Diaconus, restituto thuribulo, aliis se adiungit, facta cum Acolythis et Thuriferario Crucis genuflexione. Thuriferarius deponit thuribulum, Acolyti candelabra ponunt super abacum. Celebrans deponit Pluviale, Ministri Manipulum; et hinc adiuvabunt Celebrantem sibi cingentem linteum, ac taeniis ligabunt.

1404. Celebrans sic praecinctus accedit ad lotionem pedum: procedetur autem hoc modo. Praeibunt duo Acolyti, quorum primus ministrabit aquam, secundus amovebit pelvim, sequetur Celebrans medius inter Ministros, tectis capitibus; deinde Thuriferarius deferens mantilia, vel in pelvi, vel in canistro. Ante Altare omnes genuflectent praeter Celebrantem, qui inclinationem profundam faciet. Chorus incipiet statim cantare Antiphonam *Mandatum novum* etc., et prosequetur caetera, ut in Missali, usque dum actio durabit. Celebrans, cum pervenerit ad locum statutum, geniculabit, et adgeniculabunt etiam Ministri. Acolythus secundus a sinistris Celebrantis admovebit pelvim sub pedem dexterum eius, cui lavandus est, Subdiaconus sustinebit aliquantulum pedem ipsum, primus Acolythus a dextris sensim aquam effundet super pedem, quem Celebrans manu dextera lavabit: Diaconus accipiet unum ex mantilibus, quod explicabit et praebet Celebranti, qui eodem lotum pedem abstergit et osculatur. Lavatur pes dexter solus, primo Laicis, deinde Clericis, demum etiam Sacerdotibus, si numerus sufficiens alias non haberetur; excipi tamen debent Ministri et Clerici super-

pelliceo induti: ubi igitur numerus sufficiens Fratrum non habeatur, Mandatum non fiat. Sed si vigeat usus admittendi ad hanc functionem Tertiarios, dummodo tunica vel sacco induti sint, poterunt et ipsi de numero esse. Usus qui viget alicubi, ut Religiosi ante et post lotionem osculentur terram, non est liturgicus: tamen tolerari potest, dummodo nihil omnino dicant, non enim licet alia verba miscere sacris caeremoniis.

1405. Abluto tertidecimi pede, Chorus cessabit a cantu. Celebrans surget et medius inter Ministros comitantibus Clericis redibit ante Altare, et facta reverentia Crucis, a caeteris genuflexione, procedet ad abacum ibique manus lavabit. Primus Acolythus pelvim sustinebit sinistra, et dextera urceo aquam effundet; secundus pelvim cum medulla panis exhibebit: Ministri sustinebunt mantile, quo ille manus abstergat. Sic lotis manibus, deponet linteum quo erat praecinctus, et Pluviali rursus induetur. A latere cum Ministris, detecto capite, hinc ibit ad Altare, et sistens ante Missale in cornu Epistolae cum Diacono a dextris, Subdiacono a sinistris, surgentibus omnibus si sederint, cantabit elata voce *Pater noster*, quam Orationem omnes dicent secreto, deinde eadem voce ac prius dicet *Et ne nos* etc. cum Versiculis sequentibus ut in Missali, et Orationem in tono feriali. Acolyti interim candelabra recipient et ante Altare procedent, Celebrans et Ministri ab Altari descendent et facta genuflexione Crucis, et praecedentibus Acolythis, ordine quo venerant ad Sacristiam redibunt, et paramenta deponent.